

Stiebritz

Joh. V. 2.

1740.



Fe 2



7.29.
AN

PISCINA BETHESDÆ

Job. V, 2. seqq.

CALIDIS AQVIS ADNV-
MERARI QVEAT?

CONTRA

THOMAM BARTHOLINVM

MEDICVM HAFNIENSEM

INQVIRIT,

SIMVLQVE

SVPREMOS IN MEDICINA HONORES
SVSCIPIENDOS

VIRO

PRÆNOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE

FRID. CHRISTIANO
STRUVIO

PRIMISLAVIENSI VCKARO-MARCHICO

LÆTVS GRATVLATVR,

NOMINE SOCIETATIS ΔΟΚΙΜΑΖΟΝΤΩΝ

(der prüfenden Gesellschaft)

IOANNES FRIDERICVS STIEBRITZ

PHILOS. PROF. PVBL.

EDITIO II. AUCTIOR.

HALÆ MAGD.

EX OFFICINA KITLERIANA.

MDCCXXXV.

Se 2295



122

PISCINA DE THEODOR

CALIBIS LOUIS ADRIAN

MERARIUS ADRIAN

THOMAS DE THONINGEN

AEDICIA DE THEODOR



VIR
PRAENOBILISSIME ATQVE DOCTISSIME.

Deliberanti mihi, quidnam potissimum in medium adferrem, cum honores doctorales Tibi gratulari constituissemus: multa, non infitior, fortassis non profus ingrata, aut a scopo aliena, se mihi obtulerunt. Quum vero pleraque limatiores curas, & plus otii, quam quidem nunc mihi suppetit, jure suo postulent: sub finem tandem id omne, quidquid est scriptionis meæ, circa *piscinam Bethesdensem* versari volui. Et de ea quidem plurima occurrunt, quæ scribentis industriam requirere videntur. Nunc enim verba fieri possent de loco, quem Hierosolymis hæc piscina sibi vindicavit; nunc examinari ætas, qua eadem hanc sanandi virtutem accepit; nunc dispici, an naturalis illa virtus fuerit, an vero supernaturalis; nunc rationes indagari, quare nec *Josephus*, nec *Philo*, nec alia Judæorum monumenta, mentionem ejus rei injecerint; nunc in terminum inquiri, quo desit hæc virtus hujus piscinæ; nunc erui, an omnes, quocumque morbo adfecti, cum sanitate in gratiam redire potuerint; nunc hereri posset in homine, per XXXVIII. annos decumbente, qui occasionem commemorationi piscinæ hujus suppeditavit; nunc alia quoque non inutilis tractatio suscipi posset. Inde quoque factum est, ut multi suam operam ejusmodi nodis enodandis communicaverint. Sufficiat excitalle *Jo. Frischmuthum* diss. de *piscina Bethesdæ*;

Godfridum Olearium diff. ejusdem argumenti; *Wendelerum*, vestigia *Frischmuthi* ferme in omnibus secutum; *Jo. Deutschmannum*, qui peculiari exercitatione academica hanc sacri textus particulam illustrare aggressus est; *Thomam Bartholinum de paralyticis N. T.*; *Outreiniium* in *bibliotheca Bremensi*. Eos lubens taceo, qui in commentariis suis ex instituto de ea egerunt, quos eminent *Fridericus Adolphus Lampius*, Vir longiore vita dignus. Cui jungere placet *Io. Ligtfootum* in *horis Ebraico-Talmudicis* ad h. l. Sed vel plane relictis, vel leuiter tantum tactis his omnibus; jam eo nostrum studium convertemus, ut percontemur: *utrum naturalis fuerit, quem habuit, sanandi virtus, an vero miraculosa ac supernaturalis?* Quod vero hanc quaestionem inprimis tractandam sumserim, in causa est *Medicus Hafniensis*, seculi sui ornamentum, *Thomas*, quem modo nominavi, *Bartholinus*, quocum facit *Henricus Hammondus*, in suis ad N. T. notis. Hi enim duumviri, gente, placitis studiisque ceteroquin diversi, in eam concesserunt sententiam, quod aquæ Bethesdanæ, tamquam *medicata aqua*, & in specie *thermæ, naturalem medendi virtutem habuerint, quæ ad nonnullos, non omnes, morbos, e medio tollendos pertinuerint*. Prælusit his aliquo modo *Thomas de Aquino*, qui sanandi virtutem ex victimarum ablutione arcessere voluit. Nec infitias ivero, singulari cum specie *Hygeæ filium*, in libro de *paralyticis N. T.* suam sententiam proposuisse, ut sub initium dubius quis pendere queat, utrum *Bartholino* victas dare manus, an vero ejus castra deserere, velit. Sed si tamen, prouti fas est, omnes in subsidium vocentur circumstantiæ, oppido adparere arbitror, *Bartholinianæ* opinioni subscribi non debere; licet de reliquo facile largiar, fidem, ea nihilominus retenta, nequaquam lædi. Age! *Prænobilissime Candidate*, pace Tua, quam facile abs Te imperaturum, non

non

non spero solum, sed prorsus confido, id ipsum ut clarius evadat, nunc magis efficiam.

Ut vero mox dicenda eo rectius intelligantur, pau-
cula de ipsa *piscina Bethesdana* prænотanda erunt. Ubi
sita fuerit hæc piscina, generatim innuitur *Joh. V, 2.* cum
textus dicit, eam fuisse ἐν τῇ πρὸς βεθσαιμῶν. quod *Lutherus*
vertit beyrn Schaaf-Zause. *Vulgatus* atque *Æthiops* in-
terpretes verterunt: est autem Hierosolyma probatica pis-
cina. *Arabs*: erat hierosolymis piscina dicta piscina ovium.
Sed *Lutherus* ellipsin heic obviam non recte supplevit;
cum suppleri debuisset ex *Neb. III, 1. c. XII, 39.* juxta *LXX.*
subintellecta voce τῇ πύλῃ porta. Ut adeo sensus sit, hanc
piscinam fuisse ad portam probaticam Hierosolymis. Pe-
jus vero fecerunt *Luthero* reliqui, supra commemorati
omnes, dum pro τῇ legerunt forte ἡ, omisso ἐν, quamquam
contra omnium codicum fidem. Porta probatica refer-
tur ad cingulum urbis *Neb. III. & Ligtfootus* existimat,
sitam fuisse a parte australi, sed parum remotam ab angulo
isto, qui austrum respexit & orientem. Intus, inquit, na-
tatoria Bethesda, vide horas ebr. *Talm. p. 54.* Consentit
Hadr. Relandus Antiquitt. P. I. c. II. §. 10. cingebatur, ait,
hæc urbs muro triplici. Primus -- montem Zionem com-
plexus a turri Hippico -- protendebatur &c. ab altera parte ad
occidentem Hippici in AVSTRVM flexus orientem petebat cir-
ca fontem Siloam, & conjungebatur porticui templi orien-
tali. Ergo falsi sunt plurimi commentatores, adserentes,
hanc piscinam templo maxime fuisse vicinam. conf. *Ligt-*
foot. l. c. p. 940. sq. Nec obstare possunt, quæ *Lundius* in
Jüdischen Heiligthümern, L. III. c. XXXIV. p. 646. edit.
novæ, n. 53. objecit, quod oves sacrificiis aptæ per hanc
portam sint introductæ; quæ ea de causâ procul a tem-
plo distare non debuerit: potuit enim fieri, ut sacrificiales
pecudes nihilo secius per hanc portam ducerentur, quam-

vis non proxime templo adhaereret. Sed hæc generatim de situ dicta sufficiant; speciatim nihil determinare licet. Hinc *Lightfoot. harmon. evang. p. 531.* SITVS virtusque medica hujus piscine negotium facessunt interpretibus ejusmodi, ut nullus alius in evangelio locus eos magis torqueat: SITVM enim causamque virtutis hujusce medicæ difficillime reperiunt; jejune enim adeo de VTROQUE tam V. T. tam *Josephus ac Talmudistæ* disserunt, ut, quicumque eos examinaverint, qualescumque tantum inde conjecturas ducere potuerint. Sed queritur: unde nam hæc piscina *Ἐβραϊστί*, ebraice i. e. chaldaice, (hæc enim lingua Judæis a reditu ex Babylone erat vernacula) vocata sit *βηθεσδα?* vulgata editio habet *Bethsaida*, atque ita *Tertullianus & Theophylactus*; scriptura procul dubio, propter horum nominum adfinitatem, a librariis & aliis ebrææ linguæ imperitis, corrupta. Id ipsum nonnulli pontificii agnoscunt; ideoque *vulgatum interpretem* h. l. deserunt. Alii vocabulum, quod nobis in quæstionem venit, deducunt ex *בֵּית אֵשֶׁר*, quæ voces locum effusionis notant, seu prolapsum aquarum; vel quia aqua pluvialis de tectis decidua illic colligebatur; vel quia aqua in templis usitata, subterraneo canale isthic influebant; vel quia aqua ex alia piscina in hanc influebat. *conf. Frischmuth. l. c. cap. I. §. 9. 10.* Sed vero, hac originatione admissa, non adparet, qui hæc piscina a quavis alia distingui possit. *Bernh. Lamys*, vir celeberrimus, de templo L. IV. p. 551. sq. in eam ingressus est sententiam, quod loco *βηθεσδα* legi debeat *βεθεשא*; quod secundum ipsius mentem tantumdem valet, ac hebræorum *בֵּית הַצֵּיטון* domus ovium; quia hæc piscina proximum a loco, ubi oves venales erant, tenuisset locum. Sed vero obviam novæ opinioni ivit, eamque explosit *Frider. Adolphus Lampius* in Commentario ad *Joh. V, 2.* Rectius; ii agere mihi videntur,

tur, qui *βηθεσδα* habent pro ebraeorum בית הקדר *domo* seu loco misericordiae; omisso ה, quod graeci pronuntiare nequeunt; unde *syrus* adhibet בית חסדי. Tributum vero id nominis piscinae est tum demum, cum curandorum morborum virtute polleret. Recte *Glassius* philol. S. p. 333. it. p. 1302. *domus benignitatis. Ita autem locus iste dictus putatur, quod in eo Deus benigne potentiam & misericordiam suam exerceret in curandis quibusvis morbis.*

Nunc demum, his ita praelibatis, ad id accedo, cuius causa totam scriptionem suscepi, atque adversus *Bartholinum* aliosque evicturus, non naturali, sed supernaturali virtute aegrotos, in hanc piscinam demissos, esse sanatos.

Et primo quidem textum, qua decet, attentione perlegenti ne ullum quidem vocabulum obvium est, ex quo pateat, heic de medicatis seu calidis aquis, naturali sanandi virtute propter vires medicamentosas pollutibus, sermonem esse; potius, hac non imbutus hypothesi, non nisi de vulgari aqua cogitabit; vocatur enim simpliciter v. 2. *κολυμβηθρα*, a *κολυμβᾶν* *natando*. Et perdocte *Lightfootus* ostendit, l. c. p. 1006. sqq. hominibus, qui Levitice impuri erant abluendis, piscinam hanc, ad portam ovium sitam, sub initium saltem, intervuisse. Quo etiam facit ver-
sio *Syri*, qui *locum baptismationis* exponit. Ac comma quartum si consulueris, *ιδανος* nomine venit; quod ipsum indicio est, aquam *vulgarissimam* heic intelligendam esse. Cur autem *Johannes* has aquas non distinxit a vulgaribus, si quidem ceu medicatae distinguendae fuere; cum alias perspicuitati liter quam maxime?

Secundo etsi fortassis *ιδανος κνησις*, aquae commotio posset cum aquis medicatis quodam modo conciliari, si extra contextum has voces consideremus: eum tamen sensum admittere nequeunt, si pro contextu perpendantur. Quid enim

enim sibi vult ἀγγελος, *angelus*, qui descendisse dicitur v. 4. in piscinam, perturbasseque aquam? ib. Cum ἀγγελος κατεβαίνων sit circumlocutio *spiritus ministratorii*, mandata Dei de caelo vel adferentis, vel etiam exsequentis, conf. *Joh. I, 52.* coll. *Gen. XXVIII, 12.* cui heic alius jure in mentem veniet? Sole sane meridiano clarius perspicitur, omnem sanandi vim a speciali Dei voluntatis decreto pependisse, neque prius his aquis infuisse sanandi efficaciam, quam quidem angelus Dei rursum se observandum daret. Quæris fortasse, quâ via cognoverint illius ævi homines, angelum descendisse? respondeo, hunc angeli descensum ex subsequente illius commotione collectum fuisse. *Lightfootus harmon. evang. p. 534.* bene ad mentem meam inquit: *utrum (angelus) visibili in forma adpareret, nec ne, dubitari potest. Licet autem non videretur, quod veritati conformius est, presentie tamen sua tam conspicua signa dabat ipsa aqua commotione, vel ebullitionem quamdam, vel undulationem excitando, vel quidpiam simile faciendo, ut, qui adessent, nosse possent, eum advenisse. Deus ministerio angeli uti voluit, isque ad curandos egros movebat aquas, non tantum, quia Deus angelos adhibet plerumque ministros rerum; nec tantum, quod mera aquarum commotio hunc effectum produceret; sed ut populus ipsis oculis perciperet, restitutum rursus angelorum ministerium, miraculaque, quæ tam infrequentia fuissent a morte fere postremorum prophetarum.*

Ulterius si a me respondeam, exigis, quis in aurem inspiraverit eisdem, aquæ commotionem angelo præsentii testimonium dare? dico, Deum cum beneficium hocce iis indulgere vellet, etiam media adhibuisse, quibus innotuit, quid novâ præ se ferret aquæ agitatio. Si tamen conjecturis vacandum; vel revelata ea res est viro pio Judaicæ ecclesiæ; vel Deus, post unam alteramve agitationem cum

in-

ingenti murmure vel strepitu fortasse conjunctam, ibique inusitatam, cujusdam ægroti animum ita flexit, ut, experimentum facturus, post primamquamque aquarum agitationem sese in aquam immiserit. Cumque istud facinus prospero successu non caruisset, re in omnium notitiam perducta: non defuerunt alii, qui primi exemplum cupidissime sequebantur. Quoniam vero aquarum illam perturbationem a causis naturalibus repetere nequibant; de cetero non nescii, Deum in aliis quoque extraordinariis angelorum opera uti: quid mirum, si istam in aquas operationem *angelo* tribuerent! Cumque rem eo ipso acu tetigissent: Evangelista idem vocabulum adhibet. Nunc autem facile est novam objectionem subortam removere, qua dicitur; Si angelus proprie dictus heic intelligeretur, qui aquæ motum communicaverit, concipi non posse, quomodo Phariseorum antagonista, Sadducæi, angelorum existentiam potuerint in dubitationem adducere, immo negare prorsus? Quod cum nihilominus factum, perquam clarum esse, inferre quis posset, nihil quidquam ejus Hierosolymis contigisse. Verum Sadducæos angelorum negasse existentiam, vel ex *Act. XXIII, 8.* notum est. Et cur angelis habuisset Sadducæorum systema opus; cum Dei providentiam non admitterent, ac proprias animas mortalitati adligarent, immo fortassis plane existere negarent; cur ergo credidissent providentiæ administratos, & spiritus extra se existentes, dum ne proprios quidem adfirmarent dari? Interim huic tamen argumento, pro deferenda hujus vocis significatione, nullum inest robur. Quemadmodum enim multis a pharisæis jactatis angelorum adparitionibus, & iis imprimis, quæ sæpius commemorantur in Mosaïcis libris, fidem detrahebant omnem; etsi reliqui orthodoxe easdem credebant: ita eadem ratione nihili faciebant famam de hac adparitione in vulgus

sparsam. Quam itaque aquarum commotionem angelo descendenti attribuere alii non verebantur, eandem Saducaei, casui, nescio cui, fortuito ferebant acceptam. Posito nunc, quod angelus harum aquarum motor fuerit, ex cujus accessu ægrotorum quisque ibi decumbentium, integritatem sibi pollicebatur, intelligimus recte, quare ii aquæ motum exstantiorem *expectarint*. v. 3. Quod in aquas calidas naturali medendi vi præditas non tam apte quadrat.

Tertio non intactum dimitti debet, quod hic angelus *ναρὰ νεύρον* *tempore opportuno* aquas Bethesdanas petierit. Ea enim loquendi ratio satis evidenter indicat, nihil virtutis in ipsis aquis latuisse, totam potius eandem a *beneficio* divino fuisse suspensam. Dubio ferme carere videtur, si curandi tempus illud ad hominum voluntatem fuisset restrictum, ipsos quoque homines quosdam eo amanduros fuisse, qui demittendis ægre se habentibus impendissent suam curam; de quorum defectu tamen queritur lecto per tantum annorum tractum adfixus v. 7. Ac si penes ipsos stetit, opportunum tempus quotannis concedere adfluctis: procul dubio id non adeo breve spatium est complexum; quod obstitisset, quo minus hic infirmus numquam ejus beneficii particeps fieri potuisset. Salm, cum usus illarum aquarum, per quosdam menses aut hebdomadas nonnullas, copia futura fuisset ægrotantibus; si quidem ab hominibus procuratus fuit: minimum una vice se ita composuisse putandus est noster, aliorum auxiliatricibus manibus serio exoratis, ut vel tandem aquæ committi, salvusque extrahi potuerit. Difficultates autem has omnes feliciter superamus, dicentes; in hominum potestate situm non fuisse hunc aquarum motum, eumque omnium incertissimum fuisse; neminem prævidisse, quodnam temporis spatium Deo benignissimo præcipue adridet.

ret.

ret. Inde pronum est ad intelligendum, cur hic, semper ab aliorum ope vacuus, sibi prospicere nequiverit. Nemo enim fuit, qui, negotiis suis tantisper a tergo relictis, huic in incertum invigilare voluisset.

Ac ea quoque est ratio, cur *Lampii* explicationem non admittam, qui *κατὰ καιρὸν secundum tempus* refert ad *ἑορτήν τῶν Ἰουδαίων Festum Judaeorum*, scil. *Pascha*; tempus enim paschale potissimum innui arbitratur, quo hac medicina extraordinaria uti potuissent aegroti. Illa determinatio locum, majori cum specie saltem, invenire posset, si articulum praefixum deprehenderemus voci, ex quo non vane colligeret quisquam, *ad certum usitatumque tempus* respici a sacro scriptore; imprimis quod designatum legitur, v. I. Cum vero is articulus omisus sit: vix patiuntur se verba ad fixum temporis articulum revocare. Ac si quovis paschali tempore extitisset is angeli motus: vix crediderim, hunc adeo ab amicis cognatisque fuisse destitutum, ut numquam aliquem haberet, qui suae necessitati succurreret. Vidit id *Celeb. Ligtfootus* l. c. p. 1008. qui ante *Lampium de festalibus temporibus* in genere, vel *de festo paschatos* in specie, intellectam vult illam extraordinariam curandi rationem. Hinc vertit: *secundum illud tempus*. Quod vero in textu non habetur, adeoque inter assumenta merito rejicitur. Rectissime ergo accedo ad explicationem *Venerandi Praeceptoris D. D. CHRISTIANI BENEDICTI MICHAELIS*, ad cujus pedes olim sedisse singulari honori, dum spiritus hos regit artus, duco, qui *κατὰ καιρὸν quibusdam temporibus, subinde* vertit; monens, *κατὰ σάπιος iterationem* indicare. Prouti dicitur: *κατὰ πόλιν, ὄμιον, καμην*. adde *Frischmuthum* l. c. cap. 2. §. 2.

Sed revertor ad id, a quo paullisper deflexeram, per-tendens contra *Bartholinum*, has aquas *subinde* non fuisse commotas; si naturalis medendi vis ipsis competiisset.

Addo, quæ ad mentem meam leguntur in *Catena patrum* ad Jo. V, 2. p. 142. *sicuti hic aquæ natura per se non sanabat; alioqui enim hoc SEMPER fuisset factum; sed angeli operatione: ita & in nobis non simplex aqua operatur &c.* Jam præparo mihi novum idque quartum telum, quod in *Bartholinum* vibrare queam ex v. 4. ubi dicitur: *πρωτον*, eum, qui *primus* se aquæ commisisset, sanitatem pristinam recuperasse. Si thermæ sunt hoc loco quærendæ, si naturaliter hæ aquæ sanabant; qui *primus* ex iis tantum proficit? Quis exemplum huic simile audivit umquam? Hæc ipsa textus circumstantia adeo abhorret a sententia, quacum digladiamur, ut magis non possit.

Injurius in me ipsum essem, nisi *quinto* adderem, quæ sub finem commatis quarti leguntur, quod scilicet *primus* quisque descendens sanatus sit, *quocumque demum morbo constringeretur*. Thermarum descriptiones qui evolvit, deprehendit, has quibusdam, alias aliis pellendis morbis sufficere; vix autem calidas aquas offendimus, quæ rationem continent sufficientem tollendorum morborum omnium. Cum vero hoc ipsum de piscina Bethesda prædicetur: novo argumento paret, thermas non fuisse; sed virtutem extraordinariam iis esse indultam. *Bartholino* alia mens sedet; neutiquam enim concedit, omnis generis morbos esse his aquis profligatos. Atque, ut suæ sententiæ colorem inducat, monet, in omnibus morbis si valuissent eæ aquæ; Christi miraculosa sanandi potestate neminem indiguiffe. Sed id quidem non sequitur. Quia enim 1) hæ piscina aliquando tantum movebatur; 2) *primus* quisque solum sanabatur; 3) multorum morbi subito ita invalescebant, ut non possent tempus motarum aquarum demum expectare, nisi vitæ jacturam facere vellent; 4) Judæorum regio, propter ingentes peccatores, morbo infectis plane referta erat: qui
libet

libet videt, locum fuisse Medico potentissimo, Christo. Neque *Bartholino* ulterius objicere licet, in hac aqua tantum eos sanitate iterum donatos, qui externe laborabant, quod elici posse quis existimet ex v. 3. ubi *caci, claudi, aridi* decumbentes aquæ motum expectasse leguntur. Verum enim vero, utut non nego, ejusmodi homines beneficio illius aquæ etiam fuisse restitutos; inde tamen alii non excluduntur. Hinc est, quod primo loco generalissimum τῶν ἀσθενῶν *infirmorum* vocabulum existat, quod *omnem imbecillitatem* notat, *Matth. XXV, 44. Jac. V, 14.* Hinc *Suidas* explicat per τὰ λειπῶσιον, νοσῶν, ἀδυναμίαν. Et quid magis generalius dici potest, iis, quæ sub finem v. 4. occurrunt: ὃ δὴ ποτε κατεχέτο νοσηματι? Quæ luculentissime edisserunt, nullum morbi genus exceptum esse. Putat suæ se sententiæ fulcrum supponere *Bartholinus*, dum hunc ἀσθενῶν, per XXXVIII annos afflictum, pro *paralytico* habet; quam opinionem amplectitur quoque *Conr. Johrenius* diff. de *Christo Medico* cap. II. §. 3. At vero quamvis hoc liberalissime largiri queamus; cum inde nondum inferatur, aliis hanc piscinam non profuisse: neque tamen indubia sunt, quæ proposuit dissentiens. Præivit mihi heic Vir harum rerum callentissimus, celeberrimus scilicet D. MICHAEL ALBERTI diff. de *medicina Christi miraculosa* p. 33. sq. §. X. Quid verat, quo minus elegantissima loci citati verba heic adponantur? *qualis, ita se ea habent, hæc fuerit infirmitas, cum notio nimis sit generalis, varii varia sentiunt; an ipsa secundum Bartholinum de Paralyt. N. T. paralysis fuerit, per rationes medicas adeo firmiter judicare haud licet - - - Unde secundum nostram sententiam pro certo non constat, qualis morbus ipse fuerit: nam varii adfectus morbofi talem statum corporis post se relinquere possunt & solent, qualis in hoc agro relinquitur &c. &c.* Stat ergo sententia, omnes, quicumque dabantur,

morbos has aquas fustulisse, seite hoc ipsum eloquitur *Simon Majolus Colloq. XII. hic lacus, ait, omnes totius orbis lacus virtute excessit: si aliquibus aquis mundantur ulcera, refrigerantur nimis calida, aut calefiunt nimis frigida, sed etiam exsiccantur humidiora, aut humectantur sicciora. Non tamen omnibus agritudinibus medentur, ut hujus piscine divina fuit virtus.*

Sextum restat, quo meam sententiam confirmare possum, argumentum, ab eo depromptum, quod, historia teste, nullæ thermæ Hierosolymis fuerint obviæ. Mirum esset, in omni historia earum mentionem non factam; si illæ extitissent. Historia commemorat, aquas *Ammaunticas, Sidonias, Macharunticas, Tiberienses, Callirrhoenses*; nusquam vero ullum de his *Bethesdanis* datur testimonium. Equidem probe scio, a silentio scriptorum non semper firmiter concludi; interim tamen cum res quædam valde sit memorabilis; ac scriptores in simili versentur argumento; nec ratio adpareat ulla, quare eam silentio involverint: recte ex ejusmodi silentio colligimus, eam rem nec extitisse, nec contigisse. Applicatio facile ad nostras aquas fieri potest, quas memorabiles dico, si hac sanandi vi instructæ fuerunt, & non a scriptoribus tacendæ, qui in simili argumento sæpius sunt versati. Sed posset quis mihi ipsi objicere, quod mirum videatur sibi; de his aquis tam miraculosa virtute gavisis, in omnibus Judæorum monumentis altum esse silentium. Verum respondeo ex *Lightfooto* p. 533. l. c. *altum apud Judæos silentium de medica hac aquarum virtute quis non miretur? qui encomiis privilegiisque urbis Hierosolymæ tam insignem historiam non addiderunt: ne verbum enim, quod sciam, usquam faciunt de historia Bethesdæ. Quo sane omnino inducor ut credam, medicam hujus piscine virtutem præsa-giisse proximum Christi adventum: unde ne veritas inno-*

tesceret, hac super re nihil dixerunt. Rectissime! cum hæc virtus sese exseruerit proxime sine dubio ante Christi adventum; baptismumque & reliqua salutis depinxerit; neque diu perduraverit: factum est, ut neque *Josephus*, neque *Philo*, neque alii *Judæi*, ejus mentionem fecerint; nisi huc vocare velis *Josephum* de B. J. L. V. cap. 26.

Ex his, nunc in summam redactis, sequentem in modum contra *Bartholinum* ratiocinor: Si textus sacer 1) *has aquas*, de quibus sermo est *tamquam vulgares aquas* describit; 2) *Angelus de cælo easdem commovit*; 3) *idque subinde*; 4) *primus quisque in eas immissus sanitatem recuperavit*; 5) *Omnes de cætero morbi per ablutioem in iis sunt sublatis*; & 6) *ex nullo historico ostendi potest, Hierosolymis alias, quam vulgares aquas, fuisse: sequitur eas pro calidis aquis minime haberi posse.* Sed verum est &c. Poterant facile hæc omnia doctius & magis exarsciante proponi, & plenius quoque elaborari: verum id quidem mihi, angusti temporis cancellis incluso, nunc non licuit. Sufficiant itaque hæc hac vice!

Accedo autem jam læto animo ad id, cujus causa hanc tractationem sum persecutus. Illuxit, *Prenobilissime Doctissimeque Candidate*, Amice æstumatissime, ille dies, quo post exantlatos, Halæ, loco literarum cultoribus faventissimo, academicos labores, summos in *Medicina* Honores ab *ILLVSTRI HOFFMANNO*, *Venerabili Academia totius Seniore*, impertiendos suscipis. Tria potissimum in Te sumus admirati, quibus his honoribus quam dignissimum Te reddidisti. *Primo* enim rarum in Te conspicitur ingenium, ad majora utique, qualia ars medica sinu suo multa complectitur, natum; *Sobriam deinde* profiteris philosophandi rationem, ac solidam demonstras naturalium rerum cognitionem, quæ maxime
ido-

idoneum Te fecerunt, Medicorum scholas salutandi, inque iis felici versandi successu. *Tertio* denique egregia ornatus es artis salutaris scientia, indefessa industria comparata. Cum igitur *Excellentissimi*, quibus usus es, *Professores* plausibus suis Te nunc prosequantur, omnesque boni *feliciter!* Tibi uno acclament ore: quid mirum, si nos ad testandum singulari gaudio perfusum animum prodeamus? Gratulamur ergo, quos dudum promeritus es, honores, ardentissimis precibus Deum fatigantes Optimum Maximum, ut Te, quam diutissime superstitem, insignibus animi corporisque dotibus in dies magis velit exornare, omnisque generis bonis augere; ac in eruditi orbis decus, splendidissimæ Familiæ delicias, ægrotorum solatium, sanorum præsidium, nostramque voluptatem, plena messe ex Te capiendam, vivere jubeat. Vale & Te memorem nostrum esse fac, ut pateat,
 Vale! Dabamus die 2 Maji
 MDCCXXXIX.




in-
gia
m-
ro-
ue
fi
im
us
oti-
in-
ex-
or-
um
n,

Te 2295

25







T. 29.
AN

PISCINA BETHESDÆ
Joh. V, 2. seqq.
CALIDIS AQVIS ADNV-
MERARI QVEAT?

CONTRA
THOMAM BARTHOLINVM
MEDICVM HAFNIENSEM
INQVIRIT,
SIMVLQVE
SVPREMOS IN MEDICINA HONORES
SVSCIPIENDOS
VIRO
PRÆNOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE
FRID. CHRISTIANO
STRUVIO

PRIMISLAVIENSI VCKARO - MARCHICO
LETVS GRATVLATVR,
NOMINE SOCIETATIS ΔOKIMAZONTON
(der prüfenden Gesellschaft)
IOANNES FRIDERICVS STIEBRITZ
PHILOS. PROF. PVBL.

EDITIO II. AUCTIOR.

HALÆ MAGD.
EX OFFICINA KITLERIANA.

Ze 2295

